



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXVI. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

B. Sylvester à monte Fononio Mariam nutricem est expertus. Nocte à Dæmone in præceptus actus & lethaliter concussus, à Deipara sanatus, & ad cubiculum deductus est. Aliàs ab eadem ad templum invitatus, ex ejusdem manibus SS. Eucharistiam accepit; majori semper ardore in Mariæ amore proficere conatus. *Chron. Ord.* Una communio sufficit ad sanctitatem.

B. Sylvester ora pro me Deiparam, ut animæ meæ vulneribus ipsa medeatur, utque dilectissimi ejus filii corpus dignè suscipiam, nec prius anima è corpore egrediarur, priusquam sanctissimo hoc viatico resecta sibi viam parat ad æternitatem. O Sanctissima DEI, & mea Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: Cùm in me nihil Mariæ oculis gratum habeam, cum S. Gertrude cor filii Mariæ præsentabo.

Patrona es pientissima humani generis in omni periculo, in omni necessitate, & in omni molestia mentis & corporis fiducialiter invocanda. *Trithem. l. 2. de B. V.*

Quæstio : Quot annis in templo vixerit Deipara; v. *Cartb. l. 3. hom. 1.*